



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,
locisq[ue] scriptos digesti**

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1545

VD16 C 4328

II. Responsio Io. Cochlaei super XIII. Articulis Inquisitionis co[n]tra Io. Draconem, Pastore[m] Miltenbergen[is]. scripta Francfordiae Anno. 1522.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29563

MISCELLANEO.
RVM LIBRI SECUNDI
Tractatus Secundus.

ARTICVLI CONTRA QVENDAM
Pastorem Miltenbergensem nomine Ioan-
nem Draconem inquisitorij.

I.



Imprimis Iamdictus procurator fisci itaq;
ponit & dicit, Et si necesse fuerit probare,
intendit eundem dominū Iohannem pas-
lam & publice prædicasse, Quod tempore
quadragesimali ab escis carnū et lactici-
norum minime sit abstinentium, Neque
Christi fideles eodem tempore ad huiusmodi abstinentiam
fore obligatos aut cogendos, cum in sacro Euangelio desu-
per nihil reperiat̄ur contineri.

II. Item dixit, Quod omni die licitum sit Christi fidelibus
uesci Carnibus & lacticiñis, neq; desuper eis iugum impos-
ni, neq; ad obseruantiam huiusmodi astringi quisq; debeat.

III. Item, Quod idem dominus Iohannes tempore quadra-
gesimali proxime præterito lacticiñis publice in hospicio
sue **Rron** nō uigore indulti Apostolici, sed ausu proprio
uesci non erubuit.

IIII. Item, Quod idem dominus Iohannes prædicasse dici-
tur, Quod celebrare missas & psallere horas Canonicas, aut
uigilias nihil sit, neq; animabus defunctis huiusmodi opera
in aliquo sint suffragantia, aut cuiq; in aliquo meritoria.

Item

Item dicitur similiter prædicasse, Quod missa à Sacerdote V. malo celebrata, nemini sit meritoria utilis aut iusta, Neq; missam cuiquam fore meritoriam, nisi eam rite & legitime celebranti.

Item simili modo in concionibus suis dicitur prædicasse, VI. neminem fore obligatum ad celebrandū festa sanctorum, aut aliquem diem festum, præter diem dominicum festiuari & celebrari debere neq; Sextis ferijs Sabatinis diebus ab esu carniū fore abstinendum, scilicet omni die licitum sit uesci carniū ad placitum.

Item idem Dominus Iohannes processiones in festo S. VII. Marci solitas et per Diuum Gregoriū Papā institutas, ac alias processiones diebus rogationū pagi solitas, publice fieri prohibuit, atq; desup dixisse fertur. Ich bit dich vmb Christi Jesu blüe wille, du wöllest nit wailen oder mit den Creüzen ghen/dann es eytel nichts.

Item dicitur procurator, Quod huiusmodi diabólica præ VIII. dicti domini Iohannis suggestionū, populus more solito prædictis processionibus interesse neglexit, in diuini cultus diminutionē ac institutionis summorū Pont. derogationē.

Item idem dominus Iohannes publice docuisse et consu IX. luisse dicitur Laicos, sub utraq; specie cōmunicari debere contra inueteratā & approbatam ecclesiæ consuetudinem. Ac eundem sub utraq; specie communicare præsumpsisse.

Item, Quod dicitur prædicasse, quod licitum & permis X. sum sit sacerdotibus ducere uxores legitimas, Sacerdotibus ex hoc, luxus in continentia, ac lasciuia frena laxando.

Item, Quod Sanctiones decreta & Statuta summorum XI. Pontificum & Conciliorum, contra prædictas ipsius dñi Iohannis Trach Conciones & persuasiones, ædite sint humana constitutiōes ad quarū obseruatiā nemo sit cogendus.

Responsio Ioan. Cochlaei

- XII. Item, Quod idem dominus Iohannes prædictis erroribus hæreticis & detestabilibus insolentibus minime contentus, sed ut pacis & tranquillitatis inimicus ac fraternitatis insidiator, nuper ab ingressu chori se tueri, ac præsentias nõdum deseruitas recipere nisus, huius prætextu seditionis inter consulum & plebeios contra dominos & confratres suos de choro Miltenbergensem suscitasse dicitur.
- XIII. Item dicit Procurator prædictus, Quod licet prædictus dominus Iohannes sacris iniciatus sit ordinibus, Idem tamẽ officium suum exequi, Canonicas horas persolvere, ac primicias celebrare neglexisse dicitur, in animæ suæ salutis dispendium, & approbatæ consuetudinis uilipendium.
- XIIII. Item dicitur similiter publice prædicasse, quod ad ueram poenitentiam sufficiat poenitenti sola contritio, sine oris confessione, auferendo ut uerisimiliter præsumitur à poenitentibus & uerecundiam et pudorem, ac delinquendi audaciam præstando.

RESPONSIO IOAN. COCHLÆI,
contra eosdem articulos.

CONTRA ARTICVLVM I. DE
esu carnium in Quadragesima

Esus carnium
in Quadragesima.



Argumentum ab Euangelio & Paulonegatiue nihil ualet, sciunt etiam hoc pueri, Dialecticæ rudimentis imbuti. Nequem præceptum est in Euangelio aut Paulo, quod dies Dominicus habeatur festus. Quem tamen uult festum haberi noster ille

ille Draco. Vbi autem scriptum est uel in Euangelio uel in Paulo quod in Quadragesima minime sit abstinendum ab esu carniū & lacticiniorum: Vbi legitur Christus aut carnes aut lacticinia comedisse, praesertim in Quadragesima: ubi Apostoli: ubi sanctorum quispiam: Qua igitur temeritate noui isti Theologi audent, contra obseruantiam totius Ecclesiae & omnium sanctorum, per M. D. annos custoditā, incipere nouā Gastrimargiā, Epicureumq; esum carniū in Quadragesima: Quis ante eos hoc fecit: Qua id faciunt autoritate: qua lege: quo exemplo: At dixerint forsitan, Paulum arguere eos, qui abstinere i. Tim. 4. iubent à cibis quos deus creauit,

Sed non recte intelligunt Paulum, Non enim prohibet, Paulus in arguitue abstinentiam Quadragesimalem, sed errorem Quadragesima carnes nō comedi Pseudo apostolorum, qui fideles ad legis ueteris obseruantiam astringere uolebant, in qua à multis abstinebatur cibis, uel et immūdis, At immundi per se nō sunt cibi quos Deus creauit, Ab eis tamē abstinere bonum est gracia macerandi corporis, ut possit liberius uacare deo animus. Id qd diligentissime fecit Paulus. Ait enim, in labore & ærumna 2. Cor. 11. in uigijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis. Ostendunt ipsi nobis, ubi unquam Paulus leporem aut perdicem aut quascunq; carnes in Quadragesima comederit. Quid autem respondebūt Paulo de grauissimo isto scandalo fratrum, quos per esum carniū scandalizant: Utinam diligentius legant xiiij. Caput ad Ro. & Octauū caput I. ad Rom. 14. Corint. Bonum est (inquit) non manducare carnem, neq; bibere uinum, neque in quo frater tuus offenditur & scandalizatur aut infirmatur. Item si esca scandalizat fratrem 1. Cor. 8.

Dd 2 meum

Responsio Ioan. Cochlaei

1. Cor. 8.

meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem. Quomodo autem non scandalizentur Laici per nouum istum carnium in Quadragesima esum, contra Ecclesiae praecipuum, contra exempla sanctorum, contra tam antiquam tot retro saeculorum obseruantiam? Nonne ipsi & omnes maiores eorum abstinerunt? Sed & noui Apostoli isti abstinerunt, antequam ad has declinauerunt insanias falsas. Nos Quadragesimalis abstinentiae habemus sanctissima exempla. Mosen, Heliam, Danielelem, Ioannem Baptistam, Christum, Apostolos et omnes sanctos. Quid habent ipsi pro carnali ista Gastrimargia & scandalosa uoracitate sua? Ostendat saltem unum e tot Millibus sanctorum, qui carnes in Quadragesima sano corpore comederit.

II. DE CARNIBVS OMNI die comedendis

Matth. 14.
& 15.
Nemo Christianorum
omni die carnes
comedit.
Luc. ult.
Iohan. ult.
Num. 11.
Acto. 15.
Acto. 16.
Matth. 18.

Vbi scriptum est, quod licitum sit Christi fidelibus, omni die carnis uesci? Legimus Christum ex quinque panibus et duobus piscibus quinque Milia uirorum, Item ex septem panibus & paucis pisciculis Quatuor Milia saturasse, Atque etiam post resurrectionem manducasse partem piscis assi et fauam mellis. Et iuxta stagnum discipulis dedisse panem & piscem prunis superpositum. Quid simile de carnis legit Draco? An ignorat sepulchra concupiscentiae? Ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerat carnes. Et in Actibus decreuit ab Apostolis & senioribus, ut fideles ex gentibus abstinerent ab immolatis & sanguine & suffocato. Et Paulus praecipiebat custodire praecipua, dogmata & decreta Apostolorum & seniorum. Cum igitur Ecclesia praecipiat quibusdam diebus a carnis abstinere, pro Ethnico habendus est, iuxta uerbum Christi, quisquis contra Ecclesiae praecipuum et consuetudinem, omni die uult carnis uesci. Quis enim sanctorum hoc fecit? De

III. DE LACTICINIIS cum scandalo comestis.

Non ita docet Euangelium aut Paulus, uelci lactici-
nijs ad scandalum laicorum in publico hospicio sacer-
dotem sanum in Quadragesima, eum praesertim, qui &
uerbo & exemplo uult alios docere, An uero is non timeat
collo suo de mola asinaria? Quasi uero malum non sit ho-
mini, qui per ostendiculum manducat, & percutit infir-
mam conscientiam fratrum. Videat igitur, ut huic scan-
dalo remedium clara reuocatione dignaque poenitentia &
fletu praebet, si non uult subiacerere molae asinariae & male-
dicto Christi.

Sententia
Christi de
scandalo.
Math. 18.
Ro. 14.
1. Cor. 8.

III. DE ABROGATIONE missarum & horarum Canoniarum.

Grauiissimus profecto error est, pro nihilo habere sic
omnia religionis nostrae sacra, sine omni ratione et scrip-
tura, Vbi enim scriptum est, nihil esse Missas, nihil horas
Canonicas, nihil uigilias? Nihil ergo instituit Christus? ni-
hil Apostoli? nihil omnes sancti? Christus certe dixit Apo-
stolis, Hoc facite in meam commemorationem, Et sexta Sy-
nodus ait Iacobum fratrem domini atque Basilium, magnū
addidisse nobis in scriptis Missae celebrationem. Sed & B.
Dionysius Missarum pulcherrime describit, Et De horis
Canonicis plena habemus testimonia in scripturis & sancto-
rum traditionibus atque exemplis. Quis enim sanctorum
sacerdotum per M. D. annos horas illas non obseruauit?
Nonne Christus ipse dixit. Quoniam oportet semper ora-

Luc. 22.
De consecra.
dist. 1. Iaco-
bus. Diony-
de ecc. hierar
c. 3. pertor.

Dd 3 re &

Responsio Ioan. Cochlaei

Luc. 18.
Luc. 6.
Luc. 21.
Act. 7.
Act. 10.
1. Cor. 15.
Diony. sup
pra c. 7.

te & non deficere: Nonne fuit ipse pernoctans in oratione dei? Quid aliud faciebat, quando noctibus morabatur in monte oliueti? Sed & Petrus & Iohannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et Petrus ascendebat in superiora, ut oraret circa horam sextam. Orare iterum pro defunctis semper fuit legitimum Christianis. Ait enim Paulus. Alioquin quid faciant, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis? Et eius discipulus, Dionysius docet orare pro mortuis, sed & B. Augustinus de cura pro mortuis agenda scripsit. Denique Ecclesia tota pro mortuis orat, & in sacro Canone (qui utique antiquissimus est) eorum instituit memoriam.

V. DE MISSA SACRAM.
lo sacerdote celebrata.

Ambro. de
mysterijs ini
ciandis.

Lutherus ipse aliter sentit in sua Babylone. Et Augustinus contra Donatistas per 7. libros de Baptismo ostendit, sacramentorum gratiam per ministrorum peccata non impediri. Et Ambro. pulcherrime docet, non ministri sed Christi uerbis consecrationem panis & uini fieri. Adde quod a Luthero citatur Gregorius in testem, quod Missa mali sacerdotis non minoris ducenda sit quam boni cuiuscumque. Nec uerum est, quod nulli sit meritoria missa, nisi celebranti, quia offertur (ut est uidere in sacro Canone) pro multis, tum uiuis tum defunctis, Et Lutherus ipse publicam a priuata missa discerint.

VI. DE

VI, DE DIE DOMINICO ET de alijs festis.

Dicat nobis Draco, cur magis simus obligati ad celebrandum diem dominicum, quam alia ista ab Ecclesia instituta, Cum nusquam in scripturis sit præceptum de die dominico celebrando. Adde quod neque Christus, neque Apostoli diem dominicum, sed Sabbatum obseruauerunt. Obligat igitur omnes præceptum Ecclesie iuxta uerbum Christi Math. 18. In omnibus festis legitime celebrandis, quemadmodum et in alijs constitutionibus suis. Imo non licet edere carnes in festis ferijs, quia contrarium est Ecclesiasticis regulis & consuetudinibus. Id quod olim prudenter Augustino respondit Ambrosius.

Obligant nos præcepta Ecclesie

Aug. In epistolis ep. 118

VII, DE PROCESSIONIBUS & Peregrinationibus.

Cur obsecro prohibet Proceffiones Draco? An non dixit, Christus si duo ex uobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Sed neque uerum est, Gregorium primo instituisse proceffiones. Meminit enim proceffionum, quæ circa templa fiunt, etiam Dionysius Pauli discipulus. In legibus quoque fit mentio Letaniarum (quæ proceffiones sunt) longe ante Gregorium. Et quando unquam sine proceffionibus fuit Religio Christiana? An non superuenit spiritus sanctus ex alto, quando erant omnes pariter in eodem loco? Et quid aliud erat, quam Letania aut proceffio quædam, quando pro Petro, qui seruabatur

Math. 18.

In autem de sanctiss. Episcopis. §1 Si uero & hic.

Act. 2. AA. 12.

in carceribus

Responsio Ioan. Cochläi

Math. 27.
2. Cor. 8.

Luc. ub.

Heb. 11.
1. Pet. 2.

in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum? Nonne uero & ex præcio Redemptoris nostri emptus est ager Acheldemach in sepulturam peregrinorum? Sed & omnes sancti aliquando peregrinati sunt, Et Paulus ait Lucam ordinatum esse ab Ecclesijs comitem peregrinationis suæ. Orte Christus quoq; in specie peregrini apparuit duobus discipulis euntibus in Emaus. Et si nihil aliud boni fieret à peregrinantibus quàm quod significat animas nostras in hac uita peregrinari, satis esset rationis, q; tolli aut improbari non debeant, Ait enim Apostolus. Cōfidentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Et S. Petrus. Charissimi (inquit) obsecro uos tanq; aduenas & peregrinos, abstinere uos à carnalibus desiderijs &c.

VIII. DE PROCESSIONIBUS
per scandalum neglectis,

Math. 18.
& Luc. 17.

Vtinam recte consideret Draco Christi sententiam de eo, qui unum ex pusillis scandalizauerit, ut possit agnoscere culpam suam, qua non unum ex pusillis, sed totum gregem pusillorum grauissime scandalizauit falsa contra processiones Letanias & peregrinationes doctrina, & à deuotione cultuq; diuino rudes laicorum animos, satis alios qui hoc tempore frigidus, abstraxit. Quid dicā de eius contumacia contra totā Ecclesiam? Ad quid ualet eiusmodi doctrina? nunquid ad pietatem? nunquid ad bonos mores? ad salutē corporis aut animæ ad nihil omnino, nisi ad scandalū et seditionē. Nonne profecerūt Germani nostri in omnibus bonis, quāmdiu letanias & processiones peregrinationesque approbatas deuote peregerunt? Quid profuit Græcis & Bohemis contra Ecclesiam rebellio?

IX. De

IX. DE COMMUNIONE sub utraq; specie.

DE Communicatione Laicorū sub utraq; specie egregie nuper cōfutauit Lutherū Episcopus Roffensis in Angliā circa X VI. articuli reprobationē Confirmauerunt et alij satis efficaciter, Sed & Lutherus ipse in sua Babylone fatetur, nō esse necessariū, Laicos sub utraq; specie cōmunicari, dicat autē nobis Draco ubi scriptū sit, quod Laici sub utraque specie debeant cōmunicari. Nam uerbū illud Christi, Bibite ex hoc omnes, ad Apostolos dictū est, qui sacerdotes iam erant, non ad Laicos, Sed & Laici sumunt sanguinem Christi sub specie panis, quia totū sumūt Christū cū carne simul & sanguinē, atq; etiam cum anima & deitate pariter. Et liberrimum est Ecclesiæ, usum sacramenti dare etiā alio mō quā Christus dedit. Nam & Apostoli aliter dederunt baptismum quam Christus præcepit, nempe baptizarunt in nomine Iesu, Cum Christus iusserit baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Et hoc sacramentum Christus uespere dedit & cœnatis. Nunc autem recte datur ante prandium & ieiunis. Friuola est igitur ista attentatio & absq; necessitate.

Math. 26.

X. DE CONIUGIO SACER dotum & Monachorum.

DE scelerato sacerdotū Monialiumq; coniugio doctissime olim Hieronymus Iouiniano & nuper Ioannes Fabri Lutherō responderunt. Ostendit certe Faber noster, non licere sacerdotibus uxores ducere ex Canonibus Apostolorū, ex plurimis & antiquissimis Concilijs, ex patribus,

Ioannes Fabri responsione. 36.

Et ex histo

Responsio Ioan Cochlaei

ex historijs, ex Decretis antiquorū Pontificū & Martyrū, Insuper et ex Indorū, Moscouitarū, Græcorūq; & Iudæorū atq; etiā Saracenorū constitutionibus, Et non obscure conuincit, impuriore esse hac in parte Lutherum quā fuit Mahumetus. Tam copiose sane quæstionem istam discussit, ut omnino superfluum sit uel iota unum adijcere. Sufficit ergo hic, q; Christus castitatē suavit in castratis ppter regnū cœlorum, et qd Dauidi & pueris eius non dabant panes ppositionis, nisi mūdi fuissent à mulieribus heri & nudius tertius. Item, quod Paulus etiā coniuges ad tempus propter orationem abstinere iussit, & eas damnat, quæ primam fidem irritam fecerant. Dissoluāt ergo salaces presbyteri et Monachi Mōnialesq; priusquam ineant incestuosa & sacrilega coniugia, Hieronimi & Fabri Argumenta.

XI. DE SANCTIONIBVS
& decretis Pontificum & Conciliorum.

VBi scriptū quæso est, quod summorū Pont. sanctionibus et Decretis nō sit obediendū? Quis sanctorū eis obedire noluit? Certe Christus dedit eis potestatem soluendi & ligandi, Et pro eis rogauit, ne fides eorum deficiat & ouium suarum pastores instituit, Atq; pastoris uocem uult ab ouibus audiri. Ostendat nobis Draco, ubi talia scripta sint de Luthero & cæteris à sede Apostolica deficientibus. Certe Paulus diligēter nos admonet obedire præpositis nostris, eosq; honorare uel duplici honore, & seniore ut patrem obsecrare, non increpare. Sed hac de re copiosissime tractatum est à Fabro, à Caietano, à Catharino &c. Et Rossensis in 25. articulo pulcherrime & ex fundamento materiam istam pertractat. Habent pro se summi Pont. scripturas, Euangeo

Matth. 19.
1. Reg. 21.
1. Cor. 7.
1. Tim. 5.

Matth. 16.
Luc. 22.
Ioh. ult.
Ioh. 10.
Hebre. ult.
1. Timo. 5.

uangelium, Paulum, Concilia, Patres, Leges, Consuetudines & sanctorum omnium exempla longissimamq; præscriptionem. Quid habent Lutherani?

XII. DE SEDITIONE Clericorum uuium contra Clerum suscitata.

Christus ait. Quod tibi non uis fieri alteri ne feceris. Et usq; adeo non uult propter uilem pecuniam suscitari litem (multo minus seditionem) inter fratres, ut dicat, Et ab eo qui aufert tibi uestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue. Et qui aufert que tua sunt, nerepetas. Minime igitur Euangelicum aut Christianum est, petere ab inuitis, quæ tibi nullo iure aut consuetudine debentur, præsertim uero per seditionem petis. Non ita fecit aut docuit Paulus, Pacem (inquit) cum omnibus hominibus habete, Cum patientia supportantes inuicem in charitate, Solliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis, Et ipse, ne quod offendiculum daret Euangelio Christi, nõ est usus potestate sua, ut meteret carnalia eorum, quibus spiritalia seminabat. Argentum (inquit) & aurum aut uestem nullius concupiui, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Quis laudet igitur, propter præsentias contra ius & consuetudinem participandas in absentia, suscitare litem & seditionem, contra tribusq; conflare odium & inuidiam?

Matth. 7.

Luc. 6.

Ro. 12.

Ephe. 4.

1. Co. 9.

Act. 20.

XIII. DE OMISSIS OFFICIjs Diuinis.

Ec 2

Si Pe

Responsio Ioan Cochläi

Act. 7. et 10.
Psalm. 118.

Rom. 13
Heb. ult.

1. Pet. 2.

SI Petrus ascendit iam in templum iam in superiora domus ad horam orationis sextam & Nonam, Et Dauid septies in die laudem domino dixit Et similiter fecerunt a temporibus Apostolorum in hanc usque horam omnes sancti & religiosi Episcopi & presbyteri. Non uideo, cur id non debeat & Draco nobis facere, qui utique neque maior neque occupatior est Petro, Dauide, Ambrosio, & August. Vbi autem scriptum est, quod sacerdos ad horas Canonicas non teneatur? Vbi habetur in sacris literis, ut legibus superiorum suorum & laudabili consuetudini non obtemperetur? An non resistit dei ordinationi, qui potestatibus resistit? Omnis enim anima potestatibus sublimioribus subdita esse debet, Et praepositis nostris obedire oportet, Et S. Petrus etiam discipulis dominis uult obediri.

XIIII. DE SOLA CONTRITIONE absque oris confessione.

Matth. 18.
1. Timo. 3.

Quod non sufficiat sola contritio, sed requiratur etiam oris confessio & operum satisfactio, in ultimis conciliis, etiam in istis quae sunt maxime sacro sancta, determinauit pia mater Ecclesia, Cui quisque non obedierit, pro Ethnico haberi debet, iuxta uerbum Christi. Ipsa enim est (teste Paulo) columna & firmamentum ueritatis. Sed & B. Cyprianus (quem etiam Lutherus contra omnes Romanistas sibi sufficere ait) in plerisque locis, tum uero copiose in sermone de lapsis, probat. Ex homologesi .i. confessione, & satisfactionem poenitentibus necessariam esse, obseruauit hoc uniuersa ecclesia per annos M. D. Quis ergo nunc tam fatuus et praesumptuosus sit, qui confidat se nouo suo figmento totam Ecclesiam peruertere posse? Legat Hieronymum, August

Aug. Hilarium, Athanasium, Chrysoftonum &c. An non ubiq; inueniat pœnitentiæ opera. Sed & Christus ipse non raro dixit, Si in Sodomis factæ fuissent eiusmodi uirtutes, et signa, egissent iam olim pœnitentiam in cinere & cilicio. Et surgent in iudicio contra Iudæos (quibus prædicauit) uiri Niniuitæ, qui pœnitentiam egerunt in fletu & ieiunio, in cinere & sacco &c.

Matth. 21.

Luc. 10.

Ione. 2.

Scripta Franckfordiæ ad Moenum. 1522.

Hic Draco forsitan adhuc uiuit, Vidi enim Anno Domini 1542. Libellum ab eo æditum, super Psalmum illum omnium breuissimum, Laudate Dominum omnes gentes. Quem ille 117. Nos autem 116. Dicimus, ille eum senatus Ratisponensi dedicauit, in hæc uerba. Hunc (inquit) Psalmum 117. ob nihil aliud sub nomine uestro ædidi, nisi quod uehementer gaudeo, Deum procurasse uobis, quotidie audire Euangelium, Taceo, quod in hac urbe talis de iustificatione apparuit doctrinæ consensus, ut sperem, Deum ea propter numquam ab hac urbe ablaturum esse uerbum suum, eo quod articulus iste nihil aliud est quam fundamentum, super quod omnia ædificari oportet, quæcumque in Christianitate de bonis operibus doceri possunt. Hæc ibi Draco, Qui iam aliud sibi nomen usurpat, Dicens se Draconitem, homo perfidus & profugus, qui ubi populum Miltenbergensem in hæresim et rebellionem contra Principem et Dominum suum, Archiepiscopum Moguntinum seditiose concitasset, neque uisitationem neque iudicium expectauit, sed nequiter aufugit, relicto in periculis populo, quem sceleratissime seduxerat.

Ec 3 MISCEL